

I. N. D.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Exhibens

THEOREMATA
NONNULLA MI-
SCELLANEA;

Quam

*Consensu & approbatione Amplissima
Facultatis Philosophicae in Regia Aca-
demia Aboënsi,*

P R Ä S I D E

VIRO Excellentissimo ac Praclarissimo,


DN. M. JOHANNE FLACHSENIO,
Mathematum Professore celeberrimo,
& Academice h. t. Rectore Magnifico, Mœce-
nate & Promotore omni obsequiis cultu
proseguendo.

*Pro gradu Magisterii placido bonorum
examini submittit*

CHRISTIANUS WALSTENIUS, Finl.
In Audit, Max. d. 25. Octob. : 679.

A B O È,

Exehs. apud Viduam Hansoni.



P R A E F A T I O.

Siquidem mibi, & ex mandato Amplissimae Facultatis Philosophicae incumbit, & id voluntatis accidit, ut exigente angustia temporis, ne quid de publicis & privatis occupationibus dicam, aliquot tantum ducerem lineas, quibus omni ostentatione seposita differendi ansam praebeam. Apud candidos igitur & aquos rerum estimatores non timebo, ne hæc tropis multæ ex eo minorem inceant gratiam, quod antea a celeberrimis viris solidè elaborata, a me vero, antithesi penitus omissa, vix ac ne vix quidem corrice tenus quoad ipsam thesin tractata, sensum sanguinorum Philosophorum, ex parte multo maxi-
mâ etiam verba contineant: cum mihi ob causas antea memoratas, ratiocinari nesciuimus;
h. e. res veteres novo inducas habitu semper producere nec licuerit, nec certis de eas sis interdum placuerit, multò minus fuerit mei arbitrij ad palatum deliciorū hujus seculi singulare aliquid argumentū & minus frequenter nunc deducere. De cetero nullus dubitanus de Benivoli Lectoris aequanimitate & favore in hisce conserendum ad institutum mestitum adcingo. Esto itaq; favente Aliissimo

THEOREMA PRIMUM.

Omne Ens propriam habet existentiam.

Ratio hujus assertionis patet, quia gaudet essentia actuali, quæ est ipsa existentia. Ubi notandum existentiam hic non accipi strictè pro subsistentia, neq; abusivè pro conditione & statu rei, sed proprie prout est synonymum entis cum respectu quodam ad actualitatem, quæ aliquid extra causas constituitur; Quod intelligendum vel positivè, quatenus è causis emerget, vel negativè, quatenus in causis esse eidem repugnaverit. In hac acceptione competit existentia omni enti singulari, nullo habito respectu, an sit accidentis vel substantia, hæc completa in subsistendo vel incompleta, sive sit ex se & suà naturâ talis, sive ex accidenti. Et prout ens est simplex vel compositum, totale vel partiale, ita existentiam habet simplicem vel compositam, totalem vel partiale, adæquatam vel inadæquatam. Quæ hic adhuc essent dicenda, injunctæ brevitatis memor relinquo publicæ disquisitioni,

THEM.

THEOREMA SECUNDUM.

Actiones distingvuntur finibus.

Hoc theorema non ita accipiendum reor, ut bonitas & malitia actionis in totum à fine debeat determinari, cum sèpius videamus fieri mala boni finis obtainendi gratia. Sed quod finis sit inter requisita illa, ex quibus bonitas & malitia actionum afflîmenda. Proin ad bonitatem earum opus est junctim omnibus requisitis, ad malitiam sufficit vel unum. Ex hinc liquet etiam quid de illo censendum: duo cum faciunt idem non est idem. Nimirum posse actionem quoad materiale convenire fine tamquam existente longe diversissimo. Sic pater verbibùs affligit filium, affligit & inimicusejus, ast fine alio. Præterea distinguendum inter actionem per se ad finem ordinatam, & eam quæ per accidens: v. g. Proditio Christi à Judâ facta non meretur laudem, licet per eam servatum genus humanum. Observandum etiam illud procedere de fine ultimo, principali, adæquato & per se; non de subordinato, inadæquato & per accidens.

THEO-

THEOREMA TERTIUM.

Propria possunt virtute divina separari à suo subjecto.

AD hujus πορίσματος enodationem in rem est, ut sciamus hic in considerationem venire non propria συστάντια τῶν Φύσεων, sed παρεπόμενα τῆς Φύσεως. Præterea nobis distinguendum I. Inter separationem mentalem seu Logicam & realem seu Physicam, hæc hujus loci est. II. Inter separationem positivam, quæ est quando non solum coniunctum quid assertur, sed etiam contrariū eius assertur, & inter privativā, cuius est tantū privare rem quodam fibi coniuncto, quæ hoc quadrat. III. Inter separationem naturalē & prænaturalē, illa per naturā, hæc per naturæ creatorem sit, de quā etiam hic nobis sermo. Hisce ita presuppositis probamus assertiōnem nostram, argumentantes i. *Quod non est contradictorium, illud Deus potest, at se jungere propria à suo subjecto non est contradictorium,* Ergo Deus hoc potest. Minor facilis est probatu I. quia substantia subjecti perfecta est ex & in suis causis : Proprietates autem istæ sunt extra subjecti ἀστικές, constitutam enim seqvuntur non vero, constituunt.

wnt. Ut ergo accedentes istæ proprietates subjecti & *sic* non augent ; ita nec illis sublati hujus substantia perit vel minuitur.

z. Porro substantia & accidentis non respi- ciunt se ut affirmans & negans, sed sunt quasi species oppositæ, quarum natura est , ut una non includat sed potius excludat alteram, utique in propositulo est illa nullam implicare contradictionem.

II. Si propria adjuncta Deus à suis subjectis non potest avellere, ha- bent utique in se principium resistendi illius infinitati, at cum hoc falsum sit, quia nihil in hac finitâ naturâ, quod infinito Deo queat resistere, falsum itaq; erit & antecedens.

III. Si Deus non potest conjunctionem pro- prietatum cum subjecto solvere , nexus ille naturalis Deo erit robustior , ut potè qui ne- queat eximere subjecta , accidentium iugō pressa , at consequens blasphemum E.

IV. Quia nos verè possumus separatione mentali propria à suis subjectis separare, ut- que multò magis Deus ea separatione reali sejungere potest, nam infinitis modis, teste Apostolo, Deus plura potest, quam crea- tura intelligit aut percipit. Hinc er- iam dixit quidam Deum longe potentiorem in operando , quam intellectum nostrum in apprehendendo.

V. Videtur & id evince-

re actum primum separabilem, quod actus secundus laepius sublatus. Sufficiat unum ex multis produxisse exemplum, quod habetur 2. Reg. 6. v. 6. Ubi descensio a ferto gravi in superficie aquæ constituto potuit separari.

V I. Addunt robur assertioni nostræ exempla complura, quæ testantur non tantum de actus secundi sed & primi sejunctione: Sic subsistentia ab assumpta humanitate Christi sublata est, quæ tamen per emanationem insequitur communem formam in substantia singulari. Infirmitates & qualitates corporis nostri prout nunc constitutum est, emanant ab ipsâ essentia corporis, quæ tamen in futura vita auferentur, remanentes ipsa subjecti corporis essentiâ, 1. Cor. 15. v. 44. Erit enim corpus τόπος, sed non οὐσία, quoniam evademus Ἰωάννελοι Matth. 22. v. 30.

THEOREMA QUARTUM.

Formas brutorum in dissolutione suorum corporum non interire probabile videtur.

Cum dudum Chartesi sententia formas brutorum facientis accidentia explosa sit & jam inter omnes saniores Philosophos

con-

ead substantias, hasque duplices
t, materiales & immateriales, quæ
dictoria oppositio, & sic inter duo
m detur medium, puta participa-
taque formæ brutorum erunt vel
vel spiritus. Prius per se patet
e, quia $\alpha\beta\gamma\mu$ in Philosophia con-
orpus informari à corpore, poste-
concedendum, videlicet partici-
mas istas de conceptu spiritus, &
 $\tau\alpha\lambda\delta\gamma\omega\varsigma$. His ita positis facili-
meam sententiam roborari posse

Afferunt quidem magni nominis
i formas brutorum una cum cor-
erire, verum probabilius videtur
ntentia qui dicunt eas superstites
, quamvis vi formandi perfectè
leant, idque ob rationes sequentes 1.
n agnoscunt principium corrupti-
se nec extra se, non illud quia sūt spi-
 $\lambda\delta\gamma\omega\varsigma$ dicti, ut superius evictum;
culant hinc pugnantes qualitates
non causantes; nec hoc, quia
nonem Logicum substantiæ nihil
im. 2. Accedit & illud quod com-
vox Philosophorum: sicut ex ni-
hil fit, ita in nihilum nihil reditur,
virtute finiti agentis.

T H E O-

THEOREMA QUINTUM.

Motus solis duplex, communis
vel proprius.

Motus communis, qui & primus cluit est, quo Sol indies ab Oriente per meridiem in occidentem, indeque per mediæ noctis tempus cursus in orientem circa terram semel volvit, ac redit ad eundem meridianum, à quo est digressus, hinc *νυχτιμερὸς* diurnus & quotidianus appellatur. Hic motus cum omnium pateat oculis, non multâ eget expositione. Nisi quis de subiecto hujus motus, cui primò insit, vere ne an apparenter soli, revera autem terræ competat, nunc litigare velit, quod ad nostrum institutum non pertinet. Sive enim hoc sive illud verum sit, nihil mea refert, cum Mathematico etiam falsas hypotheses assumere licet, modo tales sint, quibus calculus motuum cœlestium verè & facilius expediri queat. Id solum hic animadvertisendum, quod licet motus hic solis sit continuus & uniformis, quod ex umbris corporum & altitudinibus solis uniformiter crescentibus & decrescentibus patet, tamen non est perfectè circularis sed spiralis sphærius; Quia non egreditur semper ex eodem punto horizon-

rizontis', nec in eodem occidit, sed hæc o-
mnia singulis mutantur diebus. Proprius
& secundus solis motus non est ab ortu in
occasum, sed vice versa ab occasu per me-
ridiem in ortum, & illinc per medium no-
tem in occasum. Observatum est à do-
ctis, solem & cæteras stellas non semper e-
undem habere sicut & distantiam inter se,
ab iis quippe stellis, cum quibus Sol hodie
est conjunctus, percipietur cras cum longo
intervallo versus partes orientales disjun-
ctum. Sic e. g. Sol hodie est in 27. gradu
libræ, cras deprehendetur in 28. gradu ejus-
dem, cum unum plus minus gradum mo-
tu hoc proprio S.S.S. singulis percurrit di-
ebus, hoc modo perlustrat omnia signa Zo-
diaci, extra tropicos vero nunquam egre-
ditur; ut enim die solsticii æstivi ad tropi-
cum cancri æquatori seu cingulo mundi pa-
rallelum pervenit, inde cursum flectit con-
vertendo se per alias spiras ad austrum, &
ut trans æquatorem signum capricorni ac-
cessit, describit alterum tropicum nimirum
capricorni, tunc nos habemus solstitium
hybernum. Hic solis ab æquatore recessus,
vocatur declinatio ejus, maxima autem de-
clinatio est recessus usque ad tropicos, qui
juxta Astronomorum observationem est 23¹
grad. fere. Fit quoq; hic motus solis sem-

per sub eccliptica, quâ de causa audit motus Solis in longitudinem, nam sit juxta longitudinem Zodiaci, cum extra ecclipticam nunquam digrediatur, sicut alij planetæ, qui gaudent etiam motu latitudinis. Notandum insuper motum hunc proprium non esse realem, sed apparentem propter obliquitatem motus primi.

THEOREMA SEXTUM.

Eclipses Solis & Lunæ fiunt in capite vel cauda draconis,

Quando hæc duo Luminaria magna suos patiuntur defectus, tum omnibus, apud quos contingunt, facile patent, adeò, ut si quis de ijs dubitet, *appaçia* sensuum extra dubitationis aleam laborabit. Modus vero non nisi artificibus constat, proin iste ex parte nobis verbo indicandus. Hujus de eclipsibus doctrinæ fundamentum est, quod in eccliptica seu Solis via non moveatur semper luminare alterum, sed egrediatur saepius, quem recessum ejus longitudinem appellant; In duobus itamen locis solares & lunares viæ se mutuo intersecant, & cum gyri illi curvitatatem draconum imitari veteribus visi sunt, usus obtinuit interfectionum puncta caput

&c

& caudam draconis appellandi. Caput dra-
conis alias appellatur nodus boreus, cauda
vero nodus austrinus. Cum itaq; lumina-
ria apud hosce conjunguntur nodos, id est,
quando Luna ab ecliptica, vel omnino
non vel parum, nec ultra 17. gradus & 30.
minuta distat, seu latitudinem habat exi-
guam, conjunctio accidit ecliptica, tunc
interiectus Lunæ splendissimam Solis lucem
nostris surripit oculis. Eâq; de causâ vul-
gò eclipsis Solis audit, quæ rectius Eclipsis
terræ vocaretur. Ex adverso si Luna haud
procul à nobis opponatur Soli, ita, ut tem-
pore oppositionis veræ, latitudo Lunæ semis
diametrum ejus non excedat, oppositio erit
ecliptica, seu eclipsis Lunæ accidet, cum
umbra terræ impedit, quo minus radij so-
lares opacum Lunæ corpus illuminent. E-
clipses hasce tam Solis quam Lunæ observan-
dum esse totales & partiales; illæ accidunt,
quando irradatio totaliter impeditur; hæ
cum pars tantum luminaris in irradiatione
impeditur. Universalis verò Eclipsis soli
competit Lunæ, quæ sideo sic appellatur,
quia cerni potest ab omnibus hominibus,
prius ab orientalibus, posterius ab occiden-
talibus, in hemisphærio illo habitantibus,
ubi accidit. Ratio hæc est, quod Luna a-
mittat lumen solare mutuatitum, ideoquæ
vide-

videri queat in omniorbe, ubi tum Luna supra horizontem est conspicua. Solis autem Eclipses quoniam contingunt Lunæ, quæ exigua est, interpositione inter Solem & oculos nostros, fieri non potest, ut in toto hæmisphærio sint visibles,

THEOREMA SEPTIMUM.

Philosophia Moralis ex scriptis
Ethnicorum pèti potest, sed
non solum.

Fuere ante aliquod tempus in patria nostra, qui potius existimavere Philosophiam moralem ex sacris hauriendam literis, quâ de eausâ scripta sua moralem Philosophiam concernentia specioso Ethicæ Christianæ nomine insignivere, Philosophiam verò paganicam, (ita enim Aristotelica per contemptum appellata) è Scholis Christianorum relegandam cenuere. Ast scriptura sacra & Philosophica Ethnicorum saniorum scripta haud ita sunt opposita, ut se mutuo tollant, neque inter se consistere queant. Cum hæc legem naturæ

Veræ profundamento agnoscant, quæ à
lege morali non nisi gradualiter differt,
longè tamen diversissimus utriusque pro-
positus est finis, Sacrarum literarum est,
homines ad vitam æternam ducere; Phi-
losophiæ autem de summo hujus vitæ
bono esse sollicitum. Passim quidem in
S. scripturis occurunt perplures vitæ
& morum regulæ, nec non frequentes
ad virtutē, adhortationes, Verum aliud
est incidenter, obiter & quasi aliud a-
gendo quidpiam attingere, aliud
unice & ex professo rem tractare. Ex
hisce liquet vitæ præcepta à scriptis Eth-
nicorum, quatenus legi naturæ sunt
conformia, optimè posse peti. Quod
non ita accipiendum volo, quasi non
multum imò fortasse magis ad vitam ho-
nestè degendam conferrent præcepta
divina, quam statuta ullius Philosophi-
quoniam varia pressius edocemur ex sa-
cris literis, qnam ex ullius Philosophi
placito; verum regulas morum ad hu-
manum hujus vitæ bonum acquirendū
benè multas etiā extra sacras literas peti
posse, quod vel ex eo manifestum est,
quia

quia parti multo maximæ humani generis scripturas sacras legere non accedit. Qyibus quoniam Deus & q; concessit liberum arbitrium ac cæteris, absurdum ac providentiæ divinæ est contrarium cum planè nullum iis proposuisse finem, ad quem suas dirigerent actiones; præcipue cum vita sine certa quadam norma dubia, inconstans, vaga & anceps esset. Et tantum erat.

ADDITAMENTA.

Divina præscientia non tollit rerum contingiam.

Duo infinita non dantur.

Malum transcendentale non datur.

Angeli sunt incorporei, incorruptibiles & immortales.

Omne Ens est vel substantia vel accidentis.

Non omne ens propriâ gaudet subsistentiâ.

Virtus consistit in perfectione anima.

Violentia sibi inferre manus illicitum.

Iudicis est, secundum acta & probata judicare.

Qui iuxta conscientiam errantem agit, peccab.

